31,-7-B-28

DE DOMINI
IN COELVM ASCENSV
74

ORATIO

HIERONYMI CORII
Mediolanenſis I.V.D.

AD S. D. N.

VRBANVM VIII. P. M.

IN BASILICA LATERANENSI
HABITA
XIII. CAL. MAII MDCXXVII.

75

ILL.MO ET EXC.MO PRINCIPI

D. HERCVLI TRIVVLTIO.

HIERONYMVS CORIVS F.

IMPAR nimis, & gloriæ tam, præclare triumphantis, & regali ſpectantium, coronæ triumphus, tuo, Excellentiſſime Princeps, inſignitus nomine prodire cupit in lucem; vt (quæ eſt tuæ indoles felicitatis) daturus melioris formæ ſpectaculum in præfulgentium tuarum virtutum clariſ-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſimo nitore ſplendeſcat. Imple igitur ea facilitate, qua concipitur obſequentis animi votum, & delatum tuum iſtum in ſinum comitatis ſignificatione ampliorem certè, quam mole, meum hoc deſiderium foue, in eam enim ſpem venio, fore, vt poſità in me ab eo gratia, cuius auctoritate dicendi facultas in regali illa corona conceſſa fuit, tuo inſita nomini, immortalitati commendetur. Vale. Romæ Cal. Iunij MDCXXVII.

ORATIO.

TRIVMPHALIS hic rediuiui mortalium reparatoris in Cœlum reditus, qui Cœleſtis Patriæ Ciuibus æternæ felicitatis initium fuit, perbreuis, Beatiſſime Pater, mihi hodierna luce ſuppeditabit argumentum orationis. Liceat igitur à tanta ampliſsimi huius loci dignitate, mentes magis, quàm oculos, ad ſublime ſpecta-

culum triumphantis in oliuarum colle tantiſper auocare. Nouis ſe mons ille floribus induit, vt occiduam patientis Chriſti ætatem in nouam oſtendat refloruiſſe pubertatem, & viridi herbarum ornatu pro funeſtiſſima Caluariæ ſpecie idoneum è terræ viſceribus aſcenſuro parat hoſpitium; vt, quæ ſemper rerum noua facies eſt, in monte triumphi cunas nanciſcatur, qui in apice montis rogum moriturus inuenit; Quos autem digniùs euocaret ad ſeſe gratulabundos tam clari fama ſpectaculi, quàm immortales è Cœlo ſpiritus, & homines è terra Cœleſtes? Illos, vt æterno Regi occurrentes, patentibus non Capitolij, ſed Cœli foribus humani aſſertorem imperij, eundemq. infauſtæ mortis expugnatorem exciperent; Hos vt abeuntem, & vocum plauſibus, & volucri mentis obſequio comitarentur. Nec morá; explicant ſe ſinuoſis voluminibus candida per aerem nubium vellera, tanquam demiſſi currus è Cœlo, qui ad ſolis domicilium triumphantem illicò transferant Imperatorem. Verum ſolis icta luminibus protinus colorantur in Iri-

dem. ò certè fauſtiſsimum omen! Nimirum meta laboris, & pugnæ triumphus eſt, pacis tyrocinium. Et ſanè Iridem hodierno triumpho Cœlum debuit exhibere pro curru, dum triumphat pacis Deus. O currum triumphantis Dei non ex auro, ſed ex aurea luce confectum, non ſplendore gemmarum, ſed virtutum radijs illuſtratum, non alio diſtinctum ornatu, quam omnibus propè dotibus Diuinitatis. Quamquam, quid dico currum? quando illuſtriori ſpectaculo rotæ mutantur in pennas, & omni prorſus vectore deſtitutus triumphator amico cum terris fœdere, pacata ſtellarum domicilia volucri paſſu præteruolat? Inſerit ille quidem aurigante natura, admouentibus ſeſe liberali obſequio nubibus ſplendidiſsimum caput, quo aſpectabilis Humanitatis ſcenam claudat iucundiſſimam. At cui vector, victor eſt animus, & cui alæ Diuinitas, ſeruilem omnem reſpuit famulatum elementorum. enim verò qui liberali ſe pondere, è ſummo apice Diuinitatis abijcere potuit ad terram, vt iter homini ſterneret

neret in Cœlum, cur non etiam nouo miraculo (niſi miraculũ dicere ſtultum ſit, quod noſtri triumphatoris eſt proprium.) Humano obductus velamine ſuis, vt ita dicam pedibus eodem conſcendat, vt Cœleſtem illam in ſedem vel infirmos tranſferret, quos ad imitationem prouocarat. Panditur intereà Diuini Regia Capitolij, & apparentem candidiſsimo in paludamento Humanitatis Ducem, Diuinum Verbum Cœli ciues agnoſcunt; Quin imò venerantur in ipſa carne ſpolia triumphantis, mirantur in ſanguiuis minio purpuram, atque in relictis toto corpore vulnerum argumentis triumphalia decora gratulantur. Perge Triumphator Nobilis, & caput æterna dignum corona ſideribus inſere. Exiſti prius Athleta fortiſſimus ad certamen, & cum teterrimo ſolus hoſte congreſſus. victorem humani generis Principem tenebrarum tuos ante pedes captiuum, & ſua vidiſti in genua prouolutum. Nunc victoria decoratus cœtus victorum ſubeas immortali laurea coronandus. Inter iſtas, vnde aſcendis, pacis oleas vnctus es Agoniſta Diui-

nus

nus ad pugnam, quas prius tuis ſudoribus irrigatas, & ad fœcunditatem excultas, nunc tuo capiti victor impone. I fortiſſime Ducum, Imperatorum ter maxime, quò tua te virtus, & pietas euehunt, & quando vniuerſi terrarum orbis patentiſſimus ambitus minor eſt, quàm circumſcribi tuæ gloria felicitatis poſſit, in ſacroſancta Diuinitatis aula, hoc eſt in non abſimili victoriæ theatro præmia labori minimè imparia cape, viridem ſemper palmam immortalitatis, maieſtatis coronam, ſolium æternitatis. iſthic enim verò tuam illam planè lamentabilem vocem vſurpare non poteris: vulpes foueas habent, & volucres Cœli nidos, Filius autem Hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet, quandoquidem ſupra cœleſtes euectus orbes, tam felici Regno donaris. Quis hoc loco Cœleſtis Populi plauſus referat, quis beatarum mentium gratulationes? quis prædicationes omnium? quis gaudium triumphale? Tu ex iſta beatiſſimæ felicitatis Regia triumphalem tuam pompam aureis characteribus, cordibus noſtris inſcribe, qui

ſupra omnem cogitationem tam ſplendidè in ſummo honoris, & gloriæ faſtigio triumphas, donec flammea effuſione linguarum facundiam addas, & vocem.

Dixi.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſſ. P.M. Sac. Pal. Apoſtol.

A. Epiſc. Hieracen. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Paulus Palumbara Socius Reuerendiſſ. P. Sacri Pal. Apoſt. Mag.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA